ALPHONSI HUYLENBROUCQ SOCIETATIS JESU VINDICATIONES

Adversùs

Famoſum Libellum

APPELLATUM

TUBAM ALTERAM

Sinè ulla Approbatione aut Facultate

Ficto nomine Editam Anno 1714.

BRUXELLIS
Ex Typographia *Antonii Claudinot* Bibliopolæ
ſub Signo Sancti Pauli.
MDCCXV.

Cum Facultate, Approbatione, &c.

1

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Bibliothecæ Neap. Soc. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo

DOMINO

D. JOANNI BAPTISTÆ

S.R.E. CARDINALI

PTOLOMÆO

Alphonſus Huylenbroucq FELICITATEM.

TEnuem hanc opellam, atque cum ea me totum Tibi, Eminentiſſime ac Reverendiſſime Domine, demiſsè ſiſto: facit comitas tua ſingularis, quia Te digna, ut hoc audeam; ſen-

ſentio quippe humeris meis impar eſſe ſuſceptum ſcriptionis genus, ad quod iniquitas temporum neceſſitate quâdam me adduxit, monet me propterea impenſiùs materia, quam verſo, ut ſi *Vindicationes Societatis* lucubrationis hujus frons præferat, *Vindicem* mihi inveniam, qui eam Provinciam pro Dignitate, & Re ipsâ ſuſtineat.

In hanc rem duo imprimis neceſſaria eſſe ſum arbitratus, Poſſe nempe, & Velle Patrocinium ſuſcipere, ac tum eo loco verſari, ubi utrumque exercere ſit integrum. Quæ quidem talia in Te ſunt, ut emineant.

Etenim ut Poſſis, Natura Te formavit, & Gratia donis omnibus præclarè inſtructum, quæ certè tametſi maxima, labore & conſtantiâ mirum quantum auxiſti: Iſtis Ductoribus, difficile dictu eſt quantam linguarum peritiam ſis aſſecutus: Sacras Literas, Græcas imprimis, & Hebraicas, aliaſque Orientales, jam pridem ſolidiùs poſſidêbas. Ex Europæis libris, præter Illyricos tibi familiares, neſcio quos vernaculè non intelligeres; neque enim Tibi omninò erant peregrini, illi etiam, qui magis incognitis linguis erant explicati.

Fuit

Fuit duratiſſimi hujus ſtudii ſummus Semper in Te fructus, ut cùm omnem ætatem in legendo conſumeres , ſingula in fonte cognoſceres , nihil credere deberes Interpreti ; quod quantum ſit in re literaria Præſidium , multi ſciunt , rariſſimi experiuntur.

Inter hæc, Altioribus Diſciplinis Te ità formaſti, ut Theologicis citiùs propemodùm Te inſtructum probares , atque ad eas audiendas fueras evocatus. Acceſſit Eccleſiaſticæ Diſciplinæ , & Hiſtoriæ eruditio firma , Peritia Juris , Bonarum Artium, omnium quodammodò non intermiſſo exercitio, comparata Poſſeſſio.

His benè effectum eſt , ut in ipſa Urbe , quaſi Orbis Patria , in qua & Viri multis nominibus Singulares ſunt obvii , & quæ ſeipſis ſunt magna, Quotidiana dici poſſunt , perpetuæ fueris admirationi ; ſive Religionis noſtræ Publicas Cauſas tractares & Inſtitueres , ſive ad Concionem diceres Orator, ſive denique in Academia Gregoriana Collegii Romani Philoſophicas Diſciplinas explanares , aut Theologicas , Polemicas maximè ; ubique enim idem es habitus , idem inventus , ſemper Vir Magnus , raræ eruditio-

nis

his præſens, formatumque ſubſidium; ac tale, quo Sapientiſſimus Pontifex, æquus rerum juxtà, ac Perſonarum æſtimator uti voluit ad Opus diu meditatum, mole, & utilitate graviſſimum.

Ita omnes compertiſſimum habent, in Te abundare, quibus Summum Patrocinium Poſſis ſuſcipere.

Ut Bonum, idem velis communicare quod Poſſis, felici quadam neceſſitate virtus tua Te ſtimulat, & cogit: Quæ quanta in Te ſit, & quotuplex Te exornet, non enarrabo, ne ſingulares quidem actiones, Fortitudinis, & Conſtantiæ tuæ teſtimonia; nolim enim Modeſtiam tuam offendere, qui præclarè numquam non conſtitutum habuiſti, Virum laudibus potiùs onerari, quàm ornari: ita quidem cùm pluribus virtutibus emineas, tibi uni Jaces, magni animi ſincerâ demiſſione maximus. Talem pridem celebrari Te memini, cùm ſummâ omnium acclamatione juſſùs fueras præeſſe Collegio Romano: non poſſumus quæ eo loco audivimus & vidimus non loqui. Multorum vices unus ſuſtinebas, omnium ſtudiis, & moribus ad plenum proſpiciens; verum Moderatorum exemplum, monebas actionibus tuis, & tenax Le-

gum

gum imperabas præeundo ; in neminem durior niſi in Te ipſum ; ſolitus ſeceſſu, quantùm licebat, tibi vacare, quotidianis vigiliis plures horas ad dies tuos adjicere, & parco victu, ac tenui recreatum corpus, ad obſequia ſpiritûs habere ſemper expeditum : inter quæ Religionis officia, Heroica tua in Deum Pietas, ita ſingula comitabatur, ut omnibus antecelleret.

Præter hoc Societatis noſtræ Princeps Collegium, Præſes item moderatus es florentiſſimum Germanicum, & Hungaricum ; difficilè dixero, quantam ibidem commorantium erga te venerationem officiis tuis provocaveris : Sentiebant quippe, & tuâ Autoritate ad Sacras Diſciplinas ſe incitari, & procul à Patria Peregrini, in Te Moderatore experiebantur, præſentem Patrem, ſedulæ tuæ benevolentiæ multis fructibus divites ; quorum planè conſcii in Provinciis reduces ſincerum gratitudinis monumentum Tibi ſervant erectum.

Quoties verò variis Ordinis noſtri Comitiis interfuiſti Electus, commemorarunt libenter, qui tunc unà tecum convenerant, quantùm S. Fundatoris noſtri

Spi-

Spiritum intellectu probares, & opere. Retulerunt illi non ſemel de ſapientiſſimis tuis conſiliis, quibus ad majorem Dei gloriam chariſſimam tibi Societatem juvare, atque ubi res tulit, propugnare non prætermiſiſti.

Nihil igitur ultra quiſquam deſiderabit, quo ſciat Te virtute ita eſſe comparatum, ut quod Poſſis beneficium, idem etiam Velis impertiri.

Jam autem quod ad locum attinet, in quem Deus te adduxit, in Ordine Hierarchico poſt Summum Pontificem adeptus es maximum, donatus Purpurâ & Sacro Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Collegio adſcriptus. Recuſaſti Tu quidem ad illum locum aſcendere; quæ res multorum admirationem provocavit, ſed eorum, qui Te non noverant: me fateor, illa recuſatio percellere non potuit, qui ſemper in animum induxi, tametſi interpoſito olim Sacramento nequaquam prohibereris, nihil te prætermiſſurum fuiſſe, etiamſi id neque ſolens foret, neque uſitatum, quo te tandem Dignitati illi ſubduceres. Tum maximè, cùm alterum recens erat exemplum Præſtantiſſimi viri, qui Sacram Purpuram erat depre-

precatus, ac propterea Sapientiſſimo oraculo dictus eſt Magnus, quia meritus, Major quia Cardinalitiam Dignitatem recuſavit. Inhærebat animo quoque, idque altiſſimè nullo ſæculo tacendum exemplum Clementis XI. qui cùm Pontifex eſſet Electus, Pontificatum non ante admiſit, niſi poſteaquam ſuâ juſſione, triduo, à multis re maturè diligenterque diſcuſſâ, intellexit ſe debere Canonicæ Electioni acquieſcere, neque poſſe ſinè peccato ſe Oneri illi eripere.

Verùm cùm nihil omnibus mediis à te adhibitis ſatis obtineres, locum hunc occupaſti juſſus, & quod Religio à te poſtulabat, interpoſito Chriſti Vicarii mandato paruiſti ſubditus: qua in re non mediocriter Te debet conſolari, quod Sacram Purpuram humeris tuis circumferas, & Orbi quodammodo ſpectandam exhibeas, quam omnes intelligere poſſint, præſtitæ à Te Præcepto Pontificio obedientiæ, publicum eſſe monumentum.

Ita nunc quidem hoc loco conſiſtis, & Eminentiſſimâ Dignitate omnibus fulges, Tibi non item: Aliis conceſſus, Tibi propemodùm ereptus, niſi ſanctiſſimo conſilio humilem vitam, Religioſam inquam

quam, cum Cardinalitia Dignitate conjungeres: muniis, exercitiis, ſignis, & ornamentis, aut ut breviſſimè dicam, oneribus Eminentiſſimus; Domicilio, victu, conſuetudine, Pietatis officiis, Religioſus: aliis, alius, Tibi idem, omnibus magnum exemplum.

Habes cauſas conſilii mei Princeps Eminentiſſime, Tuâ Benevolentiâ fretus, exile hoc oculis Tuis ſubjicio, in quo quidem, præter Finem quem mihi propoſui nihil attentione tuâ eſt dignum, niſi quod fortè conatus probare non dedigneris eorum, qui Tecum in eumdem illum Finem conſpirant; quem ut pro æquitate, ac Dei gloria diu ſuperſtes ac ſoſpes promoveas, humiles noſtras apud Deum preces effundere non prætermittimus.

Monitio

Monitio ad Lectorem

PRodiit Anno 1703. infamis Libellus, Titulus erat *Artes Jeſuiticæ*. Idem poſtea Belgicè redditus, typis Editus eſt Anno 1709. tum iterum & poſt Damnationem Apoſtolicam, mediâ ferè parte auctior ſparſus eſt anno 1710. adversùs hunc primas dedi *Vindicationes* impreſſas Gandavi apud Michaëlem Graet Anno M. DCCXI.

Anno proximo ſivè M.DCCXII. alia prodiit farrago Libellorum famoſorum ſub hoc Titulo, *Tuba magna mirum clangens ſonum* &c. huic oppoſui *Vindicationes alteras* Impreſſas item apud eumdem Typographum Anno M.DCCXIII.

Inde Anno M.DCCXIV. rediit eadem obtrectationum Compilatio, cum adjectis non nullis, Titulum præ ſe tulit, *Tuba Altera majorem clangens ſonum*, hac occaſione dedi has *Vindicationes tertias.*

Hæ tertiæ *Vindicationes* Diviſæ ſunt in duas Partes.

PARS 1ª Complectitur *Reſponſum Prævium* ad *Tubam alteram* editam Anno 1714. Tum Editionem 2am Priorum *Vindicationum* adverſùs *Tubam magnam* vulgatam Anno 1712. Singulis locis intermixtæ ſunt Reſponſiones, ad ea quæ *Tuba altera* prioribus *Vindicationibus* oppoſuit, centeſimam partem non attingens.

PARS 2ª Continet *Vindicationes* adversùs *Clangores* quos *Tuba altera* ad priorem Compilationem adjecit.

Facultas

Facultas R. P. Provincialis.

EGo Infraſcriptus *Societatis Jeſu* Præpoſitus Provincialis per Provinciam Flandro-Belgicam Poteſtate mihi factâ à R. Adm. P. N. *Michaële Angelo Tamburino* Præpoſito Generali ejuſdem *Societatis Jeſu*, Concedo *Antonio Claudinot* Typographo Bruxellenſi facultatem Imprimendi Librum cui Titulus *Vindicationes Tertiæ* &c. à Patre *Alphonſo Huylenbroucq* Societatis noſtræ Theologo compoſitum, á deputatis ejuſdem Societatis Theologis examinatum & Approbatum, in quorum fidem has propriâ manu ſubſcriptas, & conſueto Officii noſtri Sigillo munitas dedi GANDAVI 3. Aprilis 1715.

JACOBUS MATIN.

Locus ✠ Sigilli.

INDEX

INDEX CAPITUM

PARTIS PRIMÆ

Reſponſum Prævium à Pag. 1. uſque ad Pag. 31.

Præfatio. pag. 1.

CAPUT I. *Harum Vindicationum Occaſio, Neceſſitas, Conſilium, & Scopus.* pag. 11

CAPUT II. Gaſparis Scioppii *Natales: Libelli Famoſi Cenſuræ &c.*

2. *Eruditorum de* Scioppio *judicium.*

2. *Odium erga Religionem Societatis Jeſu. Conſuetudo cum* Franciſco Roales, & Joanne de Eſpino *publicè caſtigatis Calumniatoribus.*

4. *Satyræ adversùs Societatem, harum Elenchus, occaſio & cauſæ.*

5. *Famoſa* Tuba *infamis* Echo *Scioppianas Contumelias, aliaſque inverecundo plagio inſtaurat.* pag. 19

CAPUT III. *Per impoſturam & Calumniam citatur contra Religionem Societatis Epiſtola* S. Franc. de Borgia, *falsò item & ineptè* Claudius Aquaviva *in Induſtriis. Epiſtola* Mutii Vitelleſchi. Monarchia Solipſorum *adſcripta* P. Melchiori Inchofer. *Et Imago Primi Sæculi.* pag. 73

CAPUT IV. *Leviſſimi hominis Conſilium eſt adversùs Societatem adducere libellos ſupplices oblatos Clementi VIII. Pont. M.* 1593.

Quia illi Libelli ſupplices adverſarios condemnant & nos Criminis abſolvunt, cujus nos ipſi accuſant. pag. 93

Ca-

CAPUT V. *Ad Accuſandam Religionem Societatis malè ac perperàm adducitur liber adſcriptus* Joanni Mariana.

1. *Quia meritò dubium eſt, fueritne* Mariana *autor ſcriptionis, quæ illi attribuitur.*
2. *Scriptio illa Conc. Trid. & Summis PP. injuria eſt.*
3. *Mendaciis plena eſt, Contradictionibus, & indignis dicteriis.*
4. *Tametſi certò eſſet* Joannis Mariana, *& nullo vitio laboraret*, Mariana *hìc eſt autor ineptus, & quæ attulit graviſſimè ſunt punita.*

Commentitia fabula eſt Narratio de Colloquio P. Floravantii *cum Urbano VIII. P. M.* Pag. 99

CAPUT VI. *Summâ Injuriâ Religioni S. J. objiciuntur indignâ fictione appellata* Monita Secreta Societatis.

1. *Quia mendaciis ſcatet conficta pridem narratio de horum monitorum inventione.*
2. *Quia ex judicum Sententia falsò ac contumelioſè Societati ſunt attributa.*
3. *Quia ex vero autore cognoſci poteſt quanti valeant.*
4. *Quia* Impia *continent, aliaque quæ Religio Societatis Jeſu ſemper eſt execrata.* pag. 121.

CAPUT VII. *Gravi dicterio Societati denuò objectantur, appellata Prophetia* S. Hildegardis, *& in illam Prophetiam* Commentarii *adſcripti Illmo.* Joanni Baptiſtæ de la Nuza.

1. *Quia de Prophetia illa non conſtat, & qualis circumfertur admodum dubia eſt.*
2. *Ad Societatem omninò non pertinet.*
3. Commentarii, *qui citantur in illam Prophetiam, palmare mendacium exhibent: per*

injuriam

injuriam adſcribuntur Illmo. de la **Nuza.** pag. 137.

CAPUT VIII. *Perperàm contra Societatem adducitur Epiſtola adſcripta F.* Ludovico Sotèlo *Ord. Min.* S. *Franc. de Obſervantia.*

1. *Quia non probata eſt eſſe genuina.*
2. *Ex multiplici capite dubia eſt.*
3. *Pluribus vitiis laborat, & nullius eſt ponderis.* pag. 149.

CAPUT IX. *Non niſi autori ſuo noxia eſt, quæ contra Societatem adfertur* Conſultatio *ſub ficto nomine* F. Juniperi de Ancona *Ord. Min. S. Franciſci.*

1. *Quia ex damnatis libellis nova Collectio eſt.*
2. *Graviſſimis pœnis in ejus ſententias Summi Pontifices animadverterunt.*
3. *Omnem Poteſtatem contumeliis afficit.*
4. *Ineptiis ſcatet falſiſque, & invicem pugnantibus.* pag. 179.

CAPUT X. *Summo Pontifici, & Auguſtiſſimo Cæſari injurioſa eſt Accuſatio, quæ contra Societatem inſtituitur in negotio Pragenſi de Academia Carolo-Ferdinandêa.* pag. 189.

CAPUT XI. *Deſperatum Conſilium eſt Religioni Societatis objicere his titulis inſcriptos libellos.*

Fortunii Galindi *de cauſis publici erga Jeſuitas odii Diſputatio.*

Theophili Eugenii *Protocataſtaſis.*

Danielis Hoſpitalii *Conſultatio de cauſis & modis Conſervandæ & amplificandæ Societatis Jeſu.* Quia triplex hoc opus.

1. *Stultum eſt.* 2. *Mendax.* 3. *Summo Pontifici & S. Sedi injurioſum.* pag. 199.

CAPUT XII. *Multiplici Injuriâ contra Socie-*

tatem

tatem adfertur Epiſtola adſcripta Illmo. Joanni Palafox de Mendoza Epiſcopo Angelopolitano & quæ data eſſe prætenditur ad Innocentium X. P. M. Angelopoli 8. *Jan.* 1649. pag. 213

CAPUT XIII. *Expenduntur Maledicæ* Tubæ Clangores *ſinguli & eorum inanis ſtrepitus diſsipatur.* pag. 273.

CAPUT XIV. *Excutiuntur* Clangores *reliqui, & plurima eorum vitia exhibentur.* pag. 326.

Singulis Capitibus inter hæc ſigna ✱ ✱ concluduntur Reſponſiones, ad ea quæ *Liberius* Vindicationibus oppoſuit.

In Reſponſo Prævio.

Paginâ	*Lin.*	*Errata*	*Corrige*
16	35	id	ad
20	22	prodierunt	prodierint
21	28	blaſtas	blattas.
29	23	qui	qui eam.
	24	quia	quam ego.
		In Vindicat. Parte I.	
26	31	ſingurali	ſiugulari.
42	18	atquæ	atque.
44	30	obelis	obolis.
46	26	illo	illi.
136	5	hoc	hac
169	16	Japonia	Japoniæ.
202	30	mandacia	mendacia.
223	35	Quo	Quod
297	28	interpellam	interpellabo.
299	19	inquit. Atque eccum Jeſuitarum avaritiam tria, inquit,	
300	34	ipſe	ipſi.
346	19	ſunjungit.	ſubjungit.

Reſponſum Prævium.

LIBERIO CANDIDO

Qualem ſe Nominat

Bene Agere.

ALlata eſt ad me nuper, non *Argentinâ*, ut præferunt typi mendaces, ſed ex Vicina Batavia, ubi prodiit ſpiſſa quædam Compilatio, fictis nominibus tuis Inſcripta: huic titulus appenſus eſt, *Tuba altera, majorem clangens ſonum.* Lubuit ſingula pervolvere: igitur pro emptore meo, pro me ipſo queror: non eſt *Tuba altera*, ſed *Tubæ* prioris adjectis quibuſdam altera Editio: de qua, quia nihil in fronte prætuliſti, decepiſti utrumque, & iiſdem mercibus tuis præter intentionem nos oneraſti: imprudens emptor arborem tuam ex cortice æſtimavit. Non falles poſt hac, crambem tuam recoques, quibus volueris, apud me nihil emunges.

Nemini ſtatim non obvium eſt, nova hæc tintinabula, non unâ manu, veteri *Tubæ* tuæ eſſe appenſa, verùm equidem te, & ſuccenturiatores tuos pari loco habeo, pro omnibus te unum appello: tum quia quod per alios facis, per te ipſum facere cenſendus es, niſi eos ſpontè abjudices. Tum quia univerſam

collectionem fallaci appellatione tuâ diventitas. Autor tamen ſim tibi, ut cum, victo te, res ad Triarios, ad ultores tuos redierit, ſeligas tibi minus ineptos, & qui cauſam tuam minori ignominiâ peſſumdent.

Quos nobis raucâ repetitione occinis antiquatos clangores tuos, prioribus vindicationibus diſſipavi, & tamquam veteris ramalia fagi, à radice omnia ſuccîdi, excuſſi pharetram tuam univerſam: de fructu te docebunt liberi ingenii lectores, ſi eos conſulueris.

Nunc præter ac ſcriptio tua meretur, effugiis tuis Tertias has vindicationes oppono. propemodum tamen invitus: quia obſcuro nomine te pergis involvere, ut poſt larvam lateas tantiſper, ſecuriùs: quia jam pridem animum obfirmaſti, & ſus deque habes, quid proferas, dum ſcribas modò. Undique corradis adulterina, à legitimis Iudicibus proſcripta, ut ceu miræ molis camelus peregrinis ſarcinis prodeas onuſtus, obdurati gibbi viribus fiſus. Poteram jam pridem Elianum illud unicè tibi reponere *Clamate voce majori*: poteram accumulata à te omnia deſpicere, erant enim aut retuſa ante, aut damnata. Sæculi genius in alicujus Reſponſionis neceſſitatem me conjecit, non tua vociferatio, illi volui obſecundare. Cum enim credula gens eſt, & accuſari ſatis habetur, ut quis nocens traducatur, tum enimverò maximè, ſpernenda non eſt vel minima calumnia, non ut contradicendo nos ipſos ulciſcamur, ſed ne mendacio inoffenſum progreſſum permittamus, aut eos qui ſeducti ſunt damno inhærere ſinamus. Qua-

Quatuor igitur apud te explicabo.

1.° Quid tu retractes, atque emendes.

2.° Quid adversùs *vindicationes* generatim reponas.

3.° Quid reſpondeas ad ſingularia : quàm multa minimè attigeris, cum tamen pugnaciſſimus eſſe debueras, ne ea tibi eriperentur.

4.° Quos clangores, quæ inſtrumenta, alteri huic editioni ex aliis iterum adjeceris, quantâ fidei tuæ commendatione, quàm imperitè.

Duo priora hìc proſequar : tertium in ipſo opere, & ſuo loco explanabo; idque, ut apertiora ſint ſingula, cum invicem opponuntur; & ego nihil eorum omitto, quæ alicubi contradixeris. Quartum, ad calcem adjungitur, ibi, quæ attuliſti, totidem capitibus refellam. Ex his planum erit, quid de te, quid de rapſodiis tuis ſit judicandum : ego venio ad id quod propoſueram.

§. PRIMUS.
Quid *Candide* Retractes, Quid emendes.

INitio *Monitum* quoddam occurrit, quod aliquot paginis proſequeris, ac toti *Tubæ* præmittitur; ibi ſtatim enuntias in hæc verba*

„Nobis animus fuit aliquam Huylenbroucquio, quantum veritas patiebatur ſatisfactionem dare. Quicumque demùm ſit autor „*Monitorum ſecretorum Societatis JESU*, ea „ex hac Editione expuncta ſunt ob rationes „allatas pag. 178. ad illas Jeſuitas, & Lecto-„rem

* *Pag. IV.*

„rem remitto, omnibus ut puto ſatisfactum
„erit.

Teneo paginam ad quam me jubes redire, ibi ſic lego.

„Sequebatur *Clangor*, *de Reformandis ſe-*
„*cretis Jeſuitarum Monitis.* Monita illa ut
„impia, rejicit Huylenbroucq, & meritò.
„*Has inſtructiones*, inquit, *Societas execratur,*
„*&* *damnat.* Probat malè conſutam de inven-
„tione illarum fabellam, quæ præfixa erat
„variis illarum Editionibus. Lubens acqui-
„eſco ... ſponte igitur credam, numquam à
„Jeſuitis compoſita eſſe impia illa Monita,
„quæ jam dudum in vulgus diſperſa fuêre,
„ſeu per *Hieronymum Zarowiſki* Polonum,
„ſeu per quemcumque alium.

Gratulor tibi, mihique, quoniam illa à me adducta eſſe intellexiſti, quæ te à præconcepto errore revocarent, atque à te obtinerent teſtimonium hoc veritatis: neque exiguum operæ meæ pretium eſſe exiſtimo, quod te hâc parte in viam reduxerim. Deſinet proinde tandem aliquando immanis illa calumnia, quâ Societati ab annis amplius centum, per univerſum orbem, omni idiomate adſcripta ſunt *Monita illa ſecreta*, ſacrilega, & impia: deſinet vulgari de illorum Monitorum inventione leviſſima narratio. Probavi, judice te, malè conſutam, de inventione eorum fabellam.

Perpende tamen quantis clamoribus Heroës tui divulgaverint, ea Monita ad Societatem pertinere, Jeſuitis autoribus compoſita fuiſſe, & mirâ Divini Numinis providentiâ *Pader-*

bornæ

bornæ eſſe reperta, ſublataque è ſcrinio Rectoris, cum oppugnantium armis Urbs fuerat intercepta: quod quidem eâ contentione eſt traditum, iiſque momentis adornatum, ut prudentiùs Iliadem Homero crederent abrogari poſſe, quàm illa *Monita* Societati. Ecquis ante hac locus vobis fuit fertilior, quis jucundior, quem non fecit diſertum? quantum nigri ſalis vobis fudit, quantum aceti? ex his *Monitis*, ibi veteranus, atque ut loquimini, Pater Profeſſus, præconceptæ ſpei juvenem, nec ſegnem tyronem formabat, lentè tamen, & quaſi ex dimenſo, ne ingenio, aut zelo Prudentiam præcurreret. Alibi maturioribus, pro talento portio dividebatur, ſi rem pro virili geſſiſſent, ex *Monitis* liberaliùs hauſuris: Inde Patres Patrati in ima penetralia ducti, remotis arbitris ſumma conſilia conferebant, tum non de minori negotio erat diſceptatio, quàm quâ ratione Orbem univerſum Jeſuitico imperio ſubderent: de hoc ſtatuebant Catones, quibus probatiſſimum erat, nullum tantum eſſe flagitium, cujus uſus non eſſe deberet, dummodo è re foret Societatis: tum demum fidi, qui juſſa capeſſerent in omnem Regionem deſtinabantur, ne quæ Tiara, aut Mitra, Corona, aut ſceptrum Jeſuitarum caſſes evaderet; & quidquid impia amentia, perditæ conſcientiæ obtrectatoribus præterea potuit dictare.

Superis gratiæ ſint immortales! Accuſatores noſtri ſederunt judices, Heroibus ſuis nuntium remiſerunt, ſpontè credunt, numquàm à Jeſuitis compoſita eſſe impia illa dogmata,

mata, quæ ultra ſæculum in vulgus diſperſa fuerunt.

At tu *Candide* recole nunc te; atque apud animum tuum attende, quibus ſodalium tuorum ratiunculis inductus, de autoribus *Monitorum* tibi ſuaderi permiſeris: fiet fortaſſis, ut intelligas te non melioribus momentis inclinatum, alia aliis crediđiſſe & divulgaſſe leviſſimè, eritque poſthac integra magis tua Confeſſio, & cognitæ cedes veritati. Quas interim tibi debeo, hâc opportunitate, habeo gratias, habiturus majores cum reliquis à me demonſtratis, aut occurres abundè, aut acquieſces.

A *Monito*, ad *Præloquium* tuum adducimur. Ibi ſic habes.*

„Hunc in finem *Tuba magna* multiplici „clangore perſonavit vitia certè grandia, non „in ſociis quidem omnibus, ſed in eorum „*parte non modica* dominantia. Enimverò qui ſolitus fueras in illa *Tuba*, atque nunc quoque, liberaliter Societatem, & univerſim Jeſuitas, aut diſtinctiùs valde multos, & quod omnibus ubique commune eſt Regimen, vitiorum grandium inſimulare, hoc loco te recipis, ad Jeſuitarum *Partem non modicam*. Laudo prudentiam tuam, ſi temerarios auſus pertæſus, in pugna malè ſuſcepta tempeſtivè receptui canere ſtuduiſti.

Neque mediocriter bonos omnes exhilarat, quod aliquot poſt paginis ſubjungis; videris enim nunc ita eſſe conſtitutus, ut aliquid tribuere velles Decretis, quæ autoritate Apoſtolica

* Pag. X.

Apoſtolicâ emanarunt. Scribis ſi quidem * „ob mendacia non prohiberi, quæcumque „opera, ubi proſcribuntur, *niſi hoc in Decreto proſcribente exprimatur.* Atque iterum * ſi *Tuba* tua Romæ fuerit damnata, *Bene*, inquis, *Optimè tunc Tuba dicet, ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem.* Hæc ego ita accipio, ac ſi palam fatereris, te ea omnia demiſsè ſuſcipere, iiſque te velle acquieſcere, quæ in *Decreto* proſcribente *exprimuntur.* ita interpretor, ut exiſtimem, te enuntiare, ſi *Tuba* tua prohibita fuerit, eam non eſſe audiendam, ac propterea eo caſu te ultra nolle ſermonem effundere, ſed Decreto ſtare, & obſequi. Si ſenſum tuum ſum aſſecutus, qualem omnino verba tua præſeferunt, mihi gaudeo, tibi gratulor, debitam hanc Sedi Apoſtolicæ Reverentiam, quam opto talem exhibeas, qualem indicas. Fateor, tam magna timeo vota, ſed tui cauſâ mihi plaudam ſi fallar; vide quæſo ut horum memineris.

Quamquam quid ego te moneo imprudens, ipſo hoc loco deſtruis, quæ viſus eras velle ædificare. „Per potentiam veſtram magnam „(ais tu, & nos alloqueris) per inſanias fal„ſas *Tubæ* proſcriptionem fortè impetrabitis.
Hanc igitur originem ſtatuis Decretis Apoſtolicis, ad has cauſas revocas mandata Pontificia? Quaſi potentiâ, & inſaniis falſis extorqueantur, aut impetrentur? Næ tu primas univerſæ tenes impudentiæ! *Tuba* tua libellorum pridem proſcriptorum ſentina eſt, multipli-

ci

*Pag. XXIII. * Pag. XLI.

ci Decreto pridem damnata, ipſa ſibi eſt ſatis, quæ ſe dignam impetret proſcriptionem.

Porrò legio veſtra, numquamne veterum deſinet næniarum? Omnia aguntur autoribus nobis, ſi credimus vobis; ecquid fingi poteſt tam ſtulto pronuntiato ineptius? vetus hoc artificium, pridem præcluſit Theologicæ Facultatis Duaci Decanus, cum pro Bulla Urbani VIII. Catholici pugnarent.

„Mirum, inquiebat ille ex vero, ſuper „omnem Fidem: ſi Urbanus VIII. à Doc„toribus veſtris (quoſdam Lovanii per id „tempus degentes alloquitur) permotus Bul„lam condit, cudunt illam Jeſuitæ: ſi Ar„chidux eam executioni mandat, mandatum „eſt Jeſuitarum. Si Concilium ſanctius, „cum ſua Majeſtate, & Celſitudine conſpi„rat, tota mens Concilii ſunt Jeſuitæ. Si „Regentes Facultatis noſtræ omnes compen„dio Veritatem, & Æquitatem Pontificiæ „Cenſuræ ex Commentariis, & verbis ipſiſ„ſimis *Eſtii* & *Sylvii* contexunt, calamis no„ſtris ſcribunt Jeſuitæ. Si Explicationem „damnatorum Articulorum juſſu Apoſtolici „Nuntii olim conceptam proponimus vobis, „ac Facultatis veſtræ verba, nec addito apice, „aut lineolâ, Nominibus noſtris ac veſtris „approbant opus ſuum Jeſuitæ: vos nobiſ„cum, ſine digitis, ſine pectore, ſine cere„bro Doctores eſtis.

Eamdem fraudem pro meritis excepit, paucis ante menſibus, Ill.^mus Archiepiſcopus Cameracenſis in Præfatione ad partem I.^m Inſtructionis Paſtoralis Pag. XIII.

La

La Paſſion (verba ſunt Ill.mi juxta, ac ſapientiſſimi Viri) *va ſi loin que la haine des Jeſuites devient une raiſon diciſive pour aimer le Janſeniſme, malgré l'Egliſe qui le foudroye. Si les Jeſuites devenoient Janſeniſtes leur perverſion convertiroit bien-tôt un grand nombre de leurs ennemis. On ne veut voir que les ſeuls Jeſuites dans tout ce qui s'eſt fait ſans eux. Ecoutez le parti. Les Jeſuites ont fait les Cenſures de Facultez de Theologie, dont ils ſont exclus. Ils ont Preſidé aux Aſſamblées pour regler les deliberations de l'Egliſe de France. Ils ont conduit la plume de tous les Evêques dans leurs mandements. Ils ont donné des Leçons à tous les Papes pour compoſer leurs Brefs. Ils ont dicté les Conſtitutions du S. Siege. l'Egliſe entiere devenuë imbecille, malgré les Promeſſes de ſon Epoux, n'eſt plus que l'organe de cette compagnie Pelagienne. Il ne faut plus ecouter l'Egliſe, par ce qu'elle eſt conduitte par les Jeſuites, au lieu de l'être par le S. Eſprit. n'Eſt ce pas ainſi que les Proteſtans ont recuſé le Concile de Trente, comme un Tribunal ſuborné par les Cabales de leurs ennemis?* Scilicet omnes intelligimus, vobis pridem fixum eſſe, nulli conſtitutæ à Deo poteſtati obedire; hinc titulum quæritis, quò contumaciam veſtram tegere poſſe videremini: ejuſmodi titulum aptum eſſe credidiſtis, & opportunum, ſi omnia Jeſuitis autoribus fieri clamaretis, quo ignaris perſuaſum eſſe poſſet ſolis Jeſuitis vos adverſari; Non Summis Pontificibus, non Eccleſiæ, non Regibus, & Principibus, ſed delirum conſilium facilè ſe ipſo diſſipatur, & ruit.

Et

A Præloquio ad Clangores evocamur; ibi aliud occurrit. Monui te 1.° per commentum objici nobis Epiſtolam Sancto *Franciſco de Borgia* falsò adſcriptam, unicam eſſe illius Sancti Generalis Epiſtolam publicam, eamque ſingularem, ad unam Provinciam. Monui 2.°, de objectionis impoſtura, quâ præter Scopum ſanctiſſimi viri, præter rem, quæ præ manibus erat, affirmare, jubebatur *abſolutè*, quæ numquam enuntiaverat. Demonſtravi, prætermiſſam fuiſſe arte fallaci, expreſſam à ſapientiſſimo ſuperiore conditionem, quâ appoſitâ evaneſcebat vitilitigatio inconſiderata: intellexiſti utrumque, atque jam apud te lego utrumque correctum: reſtituiſti malè ſublata, appellaſti Epiſtolam qualem editam eſſe ſignificavi. „ Ne, inquis, „ AlphonſoHuylenbroucq ulla vanè cavillan- „ di, ut tu loqueris, anſa præbeatur, in cu- „ jus gratiam reſtituimus, & conditionalem „ Propoſitionem, quam conqueritur omiſſam „ in priore noſtra editione. * Gratulor hanc correctionem tibi libenter, quia hâc parte docilem te præbuiſti; nunc cum hoc loco inſtitutâ correctione nihil ſcripſiſti malè, adverſus Societatem ſcripſiſti nihil. S. Generalis Epiſtolæ proprius titulus, propria verba, omnem hìc elevant accuſationem, quam ex ipſa inſtituere planè non poteratis, niſi turpis mutilationis reos, vos prius ante conſtituiſſetis. Pergo tamen te commonefacere, ut ne alleges poſt alios tuos fœderatos, Epiſtolarum Generalium Editionem Iprenſem Anni 1611. quia ſpuriam eſſe oſtendi, & graviſſimis

* Pag. 5.

viſſimis vitiis laborare: Romanam Editionem, quâ uſus ſum, adeat, aut illi conformem Antverpienſem, quiſquis ex iis monumentis recitare quidquam voluerit.

Monui te 3.º Claudio Aquaviva Quinto Societatis Generali, per calumniam affingi ſcriptionem, cujus hic titulus eſſet, *Induſtriæ de curandis Societatis morbis*. Dedi illius ſcripti titulum genuinum, hunc tu reſtituiſti, & nunc *Claudium* appellas in libro, qui inſcribitur, inquis * *Induſtriæ pro Superioribus Societatis ad curandos animæ morbos*; idem repetis pag. 120. Laudo; eriſque poſthàc omnibus laudatus teſtis, correctionibus illis apertiſsimè eſſe demonſtratum; 1. ab Anteſignanis tuis, plurimis abhinc annis Societati objecta eſſe inſtrumenta, tamquam ejus Generalium graviſsima momenta, quæ tamen exſtiterunt numquam.

2. Si verè à Generalibus edita, viri illi, accuſatores noſtri, aut viderint, aut legerint; ea ipſis autoribus inhumano conſilio truncata fuiſſe, formataque, ut ſignificare poſſe viderentur, quæ non enuntiant.

3. Quæ fraus indigna ſemel extruxerat, atque efformaverat pro arbitrio, tamquam certas, apertaſque Generalium noſtrorum ſententias, liberè conſtanterque fuiſſe divulgatas, quæ ſi oculis ſubjiciuntur qualia ſunt, ipſa enimverò ad accuſandam Societatem non magis ſunt accomodata, quam Sanctiſsimorum Patrum graviſsimæ adhortationes condemnent Eccleſiam.

Non dicam ego poſt hæc, quid ejuſmodi corrup-

* Pag. 6.

corruptores audere non debeant in peregrinis ſcriptionibus, in inſtrumentis magis reconditis, in monumentis minùs publicis, in libris non ubique ad manum, qui in Europæis, notiſſimis, & ferè quotidie divenditis libris, addunt, demunt, immutant, quæ obtrectandi lubentia excogitaverit. Revertor ad te, neque enim errores illos tibi magnopere adſcribo, qui aliena referre ſolitus, de tuo pauper, aliorum laciniis onuſtus vendis, quæ accepiſti.

Poſteaquam ad alia ventum eſt, oſtendi calumniam eſſe, quâ *Honoratum Fabri* in Apologetico ſuo verba pronuntiantem induxiſti, quæ omninò non habet; acquieviſti, & rationem redditurus, ſubjungis * „Deſiderio „tuo faciam ſatis; penes autorem Tubæ non „erat Apologeticus ille, verba deſumpſit ex „ſcripto Gallico, cui titulus, *Seconde correction faite au P. Payen.* Inde in latinum tranſtulit. Gaudeo, quia hæc candidè, atque opportunè à te ſcripta ſunt. Intelligimus enim 1.o Quâ ratione autores noſtri accuſentur; ſcilicet cum ipſi ad manum non ſunt, cum inſpici non poſſunt; cum traducuntur inauditi. 2.ò Ubi legantur; nempe apud eorum adverſarios, ubi non ſuo, ſed ore alieno loqui juſſi, à ſenſibus ſuis proferunt perquàm aliena.

3.o Qualia Autorum noſtrorum verba accipiamus; reddita nimirùm ex alio idiomate, quæ tamen veluti ipſorum propria, diſtinctis caracteribus notantur citanturque.

4.o Hæc omnia fieri nullâ præviâ monitione, neque

* Pag. 149.

neque ſcriptionis, ex qua aliquid fuerit depromptum, neque idiomatis, quo fuerit relatum; intrepidè atque inverecundè. Accedit, Lectorem fraude & dolo malo inductum, de his vitiis tum primùm cognoſcere, cum alieno ſtudio imposturæ explicantur tam clarè, ut negari ultra non poſsint.

Quæ verò hac opportunitate adverſùm *Honoratum Fabri* iterum adduxiſti; ad proprium locum remitto. Dic tamen, amabo, quid eſt hoc quod paulò ante recitabam, *Penes autorem Tubæ, non erat Apologeticus ille*: an affirmas de te met ipſo, an hoc alii dixerunt de te? Vidêris enim hìc, ſi rectè colligo, tabulam imploraſſe, quâ enavigares, alterius Patrocinio relictus:

Cum hæc à te poſtulo penè exciderat Confeſsionis tuæ qua affirmas in hæc verba *: ab „R.mo & IL.mo Epiſcopo *Malacenſi*, teſtimo-„nium exquiſierunt (Religioſi Societatis) & „obtinuerunt, quod *Theatrum Jeſuiticum* ipſi „*eſſet* perperàm adſcriptum. Habeo gratias, quia hæc clarè pronuntias, ingenuè, atque ut, ſe res habet. Quantâ verò contentione Magnus Arnaldus Doctor ille veritatis, ut vos loquimini, infame hoc monſtrum autore illo Ill.mo prodiiſſe affirmavit? Quàm gravibus atque evidentibus argumentis, ut vos jactabatis, illud perſuaſit? Nunc ſuperba illa gloriatio evanuit, Ill.mo Malacitano *Theatrum* hoc perperàm fuit adſcriptum.

Neſcio equidem quam gratiam ſis initurus apud Sanctiſsimi Ordinis RR. PP. Prædicatores, quando infamis illius operis nunc tu ſcribis

* *Pag. XXIV.*

ſcribis *. Autorem fuiſſe *Joannem de Ribas*, inſignem, ut ais, Doctorem Ordinis Prædicatorum. Ego hoc tibi aſſerenti, aut alteri cuicumque planè non credo: ſcio *Theatrum* illud autoritate Apoſtolicâ eſſe damnatum 26. Febr. 1655. ſcio eodem anno 18. Jan. ab Inquiſitoribus Hiſpaniæ, Reum eſſe pronuntiatum *Doctrinæ Impiæ, ſcandaloſæ, & præter modum injurioſæ, Religioni in Eccleſia Dei ſpectabili.* Scio à Philippo IV. Rege Catholico, meritis flammis eſſe adjudicatum, eumque palàm adjeciſſe; eâdem pænâ involvendum eſſe ejuſdem autorem, ad quemcumque demùm pertineret; hæc cadere poſſe, in *Inſignem* ſapientiſſimi illius *Ordinis Doctorem*, ego in animum meum non induco.

Audivi te hactenùs Hiſtoricum, nunc me invitas Theologus; exſpecto quid feras. Priori tuâ Editione pag. 16. Regulam tradidiſti generalem, eamque latiſſimè patentem, ipſum his verbis complexus es, *Quidquid fieri poteſt ob publicum Reipublicæ Chriſtianæ, ipſiuſque etiam Societatis bonum, compatibile eſt cum charitate.* Exhorrui cum primùm in hanc tuam ſententiam incidi: monui te propterea in hæc verba * In vind. alteris pag. 223. „Cui hominum incidit hoc mon-„ſtrum! omnem hominem Reipublicæ nox-„ium, Regem ipſum ſubditis ſuis injurium, „è medio tollere ob publicum bonum, com-„patibile erit cum charitate? Rapere, harpa-„gare, occidere trucidare, ob publicum bo-„num, charitatis eſſe poterunt exercitia? „Equidem nunc manum mavelim amittere „vitamque,

* *Pag.* 138. & *alibi*.

„ vitamque, quam ad tam impia deſcendere.

Quid tu ad hæc mi *Candide?* Tubam tuam dulcè canere docuiſti, & quaſi ſpiritum repetiturus cantilenam tuam immutaſti: Peſſimam regulam tuam, falſam, & qualem horreat impius Machiavellus, in hac altera editione pag. 19. Propoſuiſti in hunc modum. *Quidquid* JUSTE *fieri poteſt ob publicum Reipublicæ Chriſtianæ, ipſiuſque etiam Societatis bonum, compatibile eſt cum charitate.*

Enimverò id *juſtè* à te factum eſt, quod *Juſtitiæ* locum feceris, & errorem tuum retractaveris. Hanc tui victoriam tibi vehementer gratulor, neque iraſcar, quod nullam monitionis meæ mentionem inieceris, ſed furtim tacitus juſtitiam advocaveris, pudebat enim te, credo, impietatis nimis certè magnæ.

Putaſne autem tu ſatis correxeris te? non *Candide*, foveæ, in quam incidiſti, non eripuiſti te totum, hæres etiamnùm in luto. Accipe iterum poſitionem tuam, qualem dediſti correctam, ſic ſonat. *Quidquid juſtè fieri poteſt ob publicum Reipublicæ Chriſtianæ, ipſiuſque etiam* Societatis *bonum, compatibile eſt cum charitate*: aio ego hoc falſum eſſe, Tyrone Theologo indignum. Neque multis te moror. Fac igitur Sempronium, Regis Miniſtrum aliquem accuſare, & *juſtè*, nullo peccato contra virtutem juſtitiæ, adde accuſare intentione rectâ, fine bono, ad publicam Reipublicæ utilitatem, ne qui ejus autoritate vexari, ne opprimi pergant; ſed attende eum hæc omnia agere, *Modo* inordinato, præpoſtero, & præcipiti, excedere in eo *modo* graviter, gravis in *modo exceſſus* ille ô Theologe; ſed qui

Juſtitiam

Juſtitiam non violet, eſtne compatibilis cum *Charitate*? quis errorem illum te docuit? quis eorum omnium, quos diſciplinam moralem inconſideratis principiis laxare commemoras, hic tibi ſe jungit Patronum, aut ſuffragatorem? vincis ipſos in eo crimine, cujus reos appellas, liberrimis ſcriptoribus tu ipſe liberior. Quære ſi potes, qui nullâ factâ mentione Moderaminis inculpatæ tutelæ, nullâ requiſitâ ordinatione in *modo*, univerſim tecum affirmet, id omne cum charitate erga proximum rectè componi poſſe, atque adeò illi minimè adverſari, quidquid *Juſtè* fit, & *Fine bono*, ſed non exiſtimo alium præter te tantopere aberaſſe: emendabis igitur, ſi ſapis, correctionem tuam, & ſi conſcribendis regulis delectaris, hanc quidem enuntiabis in hunc modum: *Quidquid juſtè fieri poteſt*, & MODO ORDINATO *ob publicum bonum*, id *compatibile eſt cum charitate*. Quoties hanc Ordinationem requirere prætermiſeris, Charitas ſalva eſſe non poterit. Quoniam verò in hunc locum me adduxiſti, ſine me pauca ex te quærere.

Titius, familiæ alicui, ſcriptum quoddam conſtanter attribuit, tamquam à conſanguineis conceptum & elaboratum, & nunc poſteris uſitatum. Hoc ſcriptum complectitur plura præcepta, Reipublicæ noxia, tendentia ad ſeductionem, ad oppreſſionem: multi Titio fidem habuerunt, ac propterea, adſcriptos illi familiæ habuerunt ſuſpectos, familiam exoſam, ſingulorum actiones ad illa præcepta revocarunt, quaſi aut ex his fluerent, aut id

ad ipſorum finem reſpicerent. Titius nunc comperit, & fatetur, ſcriptum hoc à nemine iſtius familiæ compoſitum fuiſſe, unde cognoſcit, omne damnum, quod ex ea perſuaſione paſſa eſt illa familia, hoc totum ſe *Titio* autore paſſam fuiſſe. Peto ad quid Titius teneatur, & quâ ratione perſolvendum? An liberè omittens reſtitutionem facere, & inſtituere revocationem, etiam in articulo mortis, poſſit licitè, aut validè abſolvi?

Clodius, ait ſe literas habere compoſitas à progenitoribus cujuſdam familiæ, eas literas divulgat; ſed eo modo immutat, ut jam præſeferant gravem accuſationem multorum criminum, quæ in illa familia dominentur. Multi, lectis hiſce literis, ſibi perſuadent, poſteros illos vere eſſe Reos, hinc nihil cum iis volunt habere commune, eorum operam non adhibent, ipſos clam, palam condemnant, ita ut frequens, & conſtans damnum familia illa patiatur. Poſt detegitur *Clodii* impoſtura: proferuntur literæ genuinæ, & in quibus nulla eſt ſpecies accuſationis. Peto quid *Clodio* jacturæ autori ſis impoſiturus?

Hæc nunc tibi reponere volui de paucis correctionibus tuis: poſtulabat demonſtrata veritas, ut plura emendares & gravia: faciam ut hoc Lector intelligat, atque ut ipſe ſibi ſit teſtis, ubi hæſeris tu, quæ prætererieris, quæ pro cauſa tua unicè adduxeris.

§.
SECUNDUS.

Quid adverſus Vindicationes *generatim reponas?*

ALia tu ad me dirigis, alia Vindicationibus univerſim opponis; de his, dicam hoc loco; ſingularia invenient proprium. Cum ergo ad me te convertis, judice te, *Candide, ego ut Phræneticus me curantem percutio.* * *convitia vibro, & probra. Hominum ſum audaciſſimus.* * *obſtinata eſt garrulitas mea; perſiſto in ſuperbia.* * *Vah*, inquis, *mendacem impoſtorem, fallacem declamatorem, ineptum ſociorum vindicem, imo & deceptorem. Factus ſum imitator Scribarum, & Phariſæorum.* * alibi, *injurias evomo, Muliere protervâ & maledicâ, quàm Sacerdote digniores.* * Vindicationes meæ, *gerræ* ſunt, *ineptiæ, cavillationes, mendacia, calumniæ, Sophiſmata, convitia, mendaces vellicationes*, * & mille alia elogia, quæ ante, & retro mihi appendis, veluti ſi centone tuo ornatum, apud tibi ſodales me in triumphum ducere ſtatuiſſes.

Vis nunc ambo inſaniamus? Aut vis mihi vernam conducam de foro, vel validum ſcurram, quocum te committas, ut de maledicentiæ palma concertes? Non faciam; vererer enim ne vinceres, luctuoſam illam victoriam ego tibi non opto. Appellabis me igitur ut voles; vindicationibus titulos facies, quos

* *Pag.* III. * *Pag.VIII.* * *Pag.XII.* * *Pag.XXXVIII.* * *Pag.* 149. * *Pag.X.* & *XI.*

os bilis tua ſuggeſſerit, horum omnium
il impediam, illa ego nec aſsis facio, nec
untii: tibi nocent hæc omnia, non alte-
cauſam tuam produnt, & te: rem ipſam
gredior.

Quid, inquis tu, *aliud ſunt quæſo vindica-
tes illæ niſi Societatis proditiones?* * Sic ha-
o: quæ Dei gratiâ eſt, Societas prodi
n timet, neque à te, neque à me; domi
a eſt foriſque, ad majorem Dei gloriam
Orbem diſperſa; qualis eſt, amat ag-
ſci, quo juxta inſtitutum ſuum ſervitutem
viat utiliorem. Sed cur, amabo, vindi-
iones illæ, ſunt Societatis Proditiones?
onem tuam ſubnectis; vide, quàm bel-
n, atque opportunam.

,Neque enim Huylenbroucquio cura eſt,
s, à Societate ſua amovere vitia, quæ
hibet reformanda *Liberius Candidus*: uni-
è ingenium, & mentem confert, ut pro-
et inſtrumenta in Tuba allata, vel non
ripta ab iis, quorum ferunt nomina, vel
utores illos apertos Societatis hoſtes. *
Numquamne igitur *Liberi* tu fabros vidi-
cum arborem ſternere in opus ſuum vel-
t? Omiſsâ ramorum tonſurâ, ſtatim radicem
uri petunt; ſic feci: radices tuas ſuccîdi, ut
eſſe non fuerit, per tot ramorum ſtolô-
, & vitulamina aciem falcis ducere. Imò
tu neſcis, Actore non probante abſolvi
m? Tu ipſe eruditè ex morali practica *
ldenum appellaſti probè docentem, "eam
im, Poteſtatemque præſumptionis eſſe,
t eum, pro quo ſtat, liberet probandi ne-
"ceſsitate

* *Pag.* 111. * *Pag.* 111. * *Tom.* 3. *Pag.* 354.

" ceſsitate, eamque transferat in adverſarium. Sunt autem omnes naturali jure cenſendi boni, niſi aptis momentis probentur mali; ac propterea pro unoquoque ſtabit præſumptio, quem vis accuſationis non vicerit.

Ego itaque *Gloſſam* tenui in Can. *Si quis.* 2. q. 3. ibi legebam. "Si quis aliquem ac„cuſaverit, & crimen illatum non poterit „probare, infamis efficitur, & de cætero „ad accuſandum non admittitur; cum con„tra eum de calumnia præſumatur. Tum ita, ſi meminiſti, ego conſtitueram:" Affir„mant adverſarii *Eſſe in Societate vitia max„ima*, *& in ea dominantia.* Demonſtran„dum ſuſcipio ex mendacibus ineptiſque mo„mentis, atrociſſimam hanc, atque univer„ſo Ordini impingi calumniam. * Inculcavi hoc iterum, atque in hæc verba: „Unum „agere conſtitui, ſeparare nempe inſtrumen„ta omnia; tum hæc omnia appendere, at„que examinare, oſtendere denique, quo „Autore primùm prodierunt, quod ſit eo„rum pondus, & quantum, quàm fuerint „Superiorum ſententiis caſtigata, quàm „multiplicibus vitiis laborent.

Hæc ego ſuſcepi, tu incumbe ut oſtendas ubi defecerim: hâc viâ à Societate vitia procul amovi quorum illam inſimulabas; quia Accuſantium vim elevavi. Omne crimen ſiquidem, à ſe quiſque amovet abundè, cum evincit, eum, qui crimen tentat injicere, audiri non poſſe, aut teſtimonium dicere. Ita enimverò Marcus Tullius, vitium ſe à cliente amoviſſe perſuaſiſſimùm habuit, cum pro-

* *In vind. alteris Pag. 15.*

robaſſet à Græco eſſe impactum: exemplum abes in Oratione pro Flacco: „Verumtamen, inquit, hoc dico de toto genere Græ„corum, tribuo ei literas, & multarum ar„tium diſciplinam, non adimo lepôrem, in„geniorum acumen, dicendi copiam, deinde „ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno: Te„ſtimonium, Religionem, & Fidem, num„quam iſta natio coluit, totiuſque hujuſce „rei, quæ ſit virtus, quæ autoritas, quod „pondus, ignorant.

Græcos eſſe probavi, quos tecum addnxiſti, ut inter clangores tuos vociferarentur; da operam, ut evincas eos eſſe Romanos, quorum certa inſtrumenta attuleris. Proinde non ſolummodò de inſcriptionibus, aut de criminantium animis indicare curavi, ſed quàm maximè de rebus ipſis, id eſt de teſtimoniis, quæ magis explicata, revocavi ad publicam liatêram, ut vos etiam adverſarii judicare poſſetis, quorum, ſi æqui eſſe vultis, in hac cauſa judicium non reformido.

Ipſi operi, quod *Tubam magnam* appellaſti, aliquod ſcutum objicere nolui, imò vix potui; quid enim præter ſummaria Capipitum de ſuo magnopere attulit? Tolle ab opere tuo legi vetita, & inter veteris bibliothecæ blaſtas ſepulta opuſcula, à te iterum ad novos typos revocata, tam erit, ut exiſtimo, Sonora Tuba tua, quàm pertuſum crepitaculum. Sed neque tecum congredi volui: optavi ut te noſceres, & reſipiſceres; expecto, ut voto meo facias ſatis, atque quod omnes intelligunt, etiam tu videas, ineptè,

&

& deridiculè proditionem à te inclamari; niſi fortè cùm nihil occurreret, quod demonſtratis aptè reponeres, deſperatio in eas anguſtias te conjecerit.

Accedunt alia, eaque generalia, quæ his locis commemoras.

Affirmas. 1.º In hæc verba. „Sophiſma „eſt Jeſuitis familiare; *Non amat Societatem* „*N. ergo falſa ſunt quæcumque de illa profert.* „*Hæreticus eſt N. ergo hæretica ſunt quæcum*„*que docet.* Sæpius in decurſu hujus operis „detectum eſt hoc Sophiſma. *

Neſcio equidem ubi Sophiſma illud detexeris; fac ergo oſtendas ubi repereris, ne omnes meritò in fidem tuam pergant deſpuere. Ego ſanè ſophiſmate illo uſus ſum nuſpiam: ſi potes, indica locum, in quo tibi viſum fuit occurrere: nequè certè fallaciâ illâ uſurus ſum umquam, ſi ſciens ſcripſero. Quæ enim, aut cui eſt illa conſecutio, *Candidus non amat me*: ergo *Falſum eſt*, *quidquid de me protulit.* Id ego planè nollem: jam enim oſtendi te ſæpius falſum eſſe quod res erat; hæc inquam, nolim eſſe falſa, tametſi à te dicta fuerint.

Sunt qui Societati non afficiuntur, quia nihil de ea ex propinquo ſatis intellexerunt, quia illam non norunt, niſi pro ut à Pictoribus pro genio ſuo fuit delineata: ſunt qui non amant nos, nec poſſunt dicere quare: ſunt qui rationibus ſuis ducuntur; dolemus, ſi veras habeant, & eas quamprimùm ceſſare impensè optat Societas, ne ſi alicui juſto ſit offendiculo, propoſitum ſibi finem Proximi, & pro-

* *Pag.* 111. & *Ult*

opriam ſalutem, minùs aſſequatur: alii mnem amorem ſuum ſemetipſis circumſcriant, extra ſe nihil curant, ſibi vigilant, & borant ſolis; Sunt qui non amant, quod nare poſſent, & deberent, ſi Deum amaent.

Omnes hæ Claſſes, & ipſis affines obviæ int; ad quamcumque quis f[illegible] reducenıs, non propterea continuò quidquam falım eſt, quia à non amante prolatum eſt; ego ſponte fateor, quia negavi numquam, eque in ſcriptorem incidi qui hoc commenm, quale tu velles, obtruderet; quis enim norat, & amantes, & non amantes eadem pe enuntiare, quæ omnes vera eſſe intellimus? bonum enim, ubique bonum eſt, & ud laudant, etiam inviti.

Quod vērò Sophiſma hoc, cujus nullum emplum nobis legiſti, ſcribas *Jeſuitis eſſe miliare*, tibi quidem familiare dicterium eſt, ii liberaliter *Jeſuitas* appellas, & de aſſer tuis evincendis minimè laboras: da opem ut intelligere poſſim apud quos inſulſum oc ratiocinium ita ſit obvium, ut *familiare* ci poſſit. Ubi inveneris, ibi falſum eſſe obaveris, quale tu comminiſceris, & nos' objectas.

Quæ de Hæretico ſubjungis, neſcio an vilans ſcripſeris. Ais Jeſuitis familiare eſſe oc Sophiſma, *Hæreticus eſt* N. ergo *Hæreca ſunt quæcumque docet*: an igitur tu inciſti in Jeſuitarum aliquem, qui hæreticum gnoverit, cujus omnis Doctrina ſit hætica, qui nihil doceat cum Catholicis com-

mune

mune? ubi gentium tibi hoc monſtrum occurrit? Accinge te itineri, & in ejuſmodi Jeſuitam inveſtiga, quod ſi non ante ad nos redieris, quàm eum inveneris, non audiemus te de hoc iterum.

Verùm, an non tu ipſe Sophiſma illud in rem tuam ſtuduiſti adducere? Nominaveram ego certiſſimum teſtem Ill.m ac Reverendiſſimum *Albitium*, pòſt Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem, in ea cauſa, in qua erat conſtitutus à Summo Pontifice Miniſter. Quid tu? *Receptibile non eſt*, inquis, *teſtimonium Albitii de mendaciis Santamoreûm arguentis*; attende nunc ad cauſam dicti tui liberrimi: *utpote teſtimonium notorii inimici ipſius eſt.* * videtur ne tibi hoc ſatis affine Sophiſmati tuo? *Non amat Santamoreûm Albitius*: ergo *falſa ſunt quæcumque de illo profert*: noli quæſo ſcabiem tuam alteri affricare. Hoc de Sophiſmate, de *Santamoreo* & aliis huc facientibus pòſt intelliges.

Utrique tamen noſtrum minimè inficiabor integrum eſſe, recuſare teſtimonium, cùm hæc duo concurrunt. 1.o Cùm id qui præſtat, meritò habendus eſt ab accuſatis perſonis alienus; *meritò* inquam, id eſt veris, probatiſque indiciis; non levibus, non leviſſimè contra judicem excogitatis. 2.o Cum id quod affertur, nullis momentis eſt ſtabilitum, ſed ſolâ nititur adverſarii pronuntiantis autoritate.

Venio ad alterum, quo, cùm de me, tum de vindicationibus, liberali fideliâ multa circumvibras. *Ad majorem Dei gloriam*, inquis, *non*

* *Pag.* XXII.

non ſcripſiſti R.P. Alphonſe Huylenbroucq. * An ergo tam citò tibi excidit *Tuldenus* de Præſumptione? Ego enimverò exiſtimo illam pro me ſtare apud bonos omnes: quem mihi finem propoſuerim, probè ſum conſcius: quæ ſunt in hac re præter Deum (crede verum dicenti) me certè citiùs avocant ab hoc labore, quàm adducant, aut ſtimulent: hoc unum fixum habui, & habebo dum licet, impedire nempe pro eo,ac in me fuerit, ne falſis obtrectationibus veſtris apud imperitos Rea traducatur Societas, & ne in iis ſubſelliis leviſſimè damnata, ad obſequia proximi ſui minùs cogitetur eſſe accommodata.

Sed tu dignas oratione tuâ rationes ſubnectis. Ad Dei gloriam minimè adlaboravi, quia, judice te, "Gerris, ineptiis, Cavillati„onibus, mendaciis, & calumniis (Jeſui„tis non inſolitis) adnitor obtundere aures „Sociorum meorum, ut non audiant verita„tem luce meridianâ clariorem, neceſſitatem „utique magnam reformandi Societatem. Ad „nihil aliud collimare videntur frivolæ, at„que in valdè multis mendaces vellicationes „meæ, niſi ut & Sociorum meorum aures „obtundam, & obdurem, ne & ipſi ſonitum „tuum audiant, & audiendo Eccleſiæ, & „Societatis bono conſulant.*

Jam dixi; lapideos floſculos tuos tibi permitto, tu illis te corona, nihil impedio. Nimis tamen te palpas, dum exiſtimas aliquid te attuliſſe, quod Socii legerent, aut à cujus lectione debeant impediri, ne ſonitum tuum aliquando percipiant. Circumſpice Tubam

* *Pag. X.* * *Pag. X. & XI.*

bam integram, mille conſtat laciniis, nullâ artificis elegantiâ in Cornu quoddam coactis; quid eſt, quod in ea ſociorum aliquem alliciat? An Res, an Modus? neutrum sanè: ſi enim de re ipſa quæſtio eſt, næniæ veteres ſunt, aniles fabulæ, & antiquatæ, quædam ſunt ſæculo vetuſtiora. Alia publicis punitionibus ſunt notiſſima, alia quidem clariſſima, ſed igne quo ſunt conſumpta; in multa animadvertit gravis cenſura, de aliis, nullus fuit qui certò nuntiaret: hæc eſt res ipſa: Modum tuum, neque tu credo velles commendari, adeò ſe ipſo pretium ſuum circumfert; atque ita cum ſatis omnia attendimus, eſt Tuba tua inſipidum compendium, irreverentiæ erga Superiores, maledicentiæ erga Proximum. Crede mihi, Socii, magis rerum ſuarum ſatagunt, & bonas horas feliciùs collocant, atque beatiùs, quàm ut patiantur clangoribus tuis ſe detineri: unuſquiſque ex Inſtituto ſuo, pro eo ac Deus dederit, & Moderatores volunt, in proximi ſalutem, in bonum Eccleſiæ ſtudet incumbere, & ſanctam imprimis formam in ſe inducere: omnes lætamur leges noſtras in viridi conſiſtere, hæ muniunt, revocant, & caſtigant.

Neque eſt cur aliquis, ab hiſtoriolis, & narratiunculis tuis debeat arceri, per nos quidem licet, volvantur teranturque, ubi id ſinè Dei offenſa fieri poteſt; unum rogamus, *Examinentur*: id credo juſtè poſtulamus; tum equidem ſpondeo futurum, ut cùm omnia ſatis perſpecta habuerit, nemo æquus Societati diu ſuccenſeat: ego ſanè in animum meum

um induco, non exiguam in Domino gloriandi materiam ab hujuſmodi obtrectationum examine poſſe profluere.

Ita quidem quas mihi tribuere voluiſti, hæ tuæ ſunt partes, tu profligatis accuſationibus aures obtundis, Sociorum tuorum, atque imperitorum aures obduras, ne & ipſi Summorum Pontificum, aliorumque Superiorum ſonitum audiant; & Decreta, Sententiaſque audiendo, Eccleſiæ, & Societatis bono conſulere pergant, aut incipiant.

Quæ de Calumniis, & Mendaciis meis, more tuo liberrimè effutis, aut tace, aut evince.

Supereſt ultimo loco Thraſonica tua ad nos allocutio: repetam totam libenter; ſic habet:

„Credite ergo Reverendi Patres, credite „veritati, per tot Tubæ magnæ clangores „ad aures veſtras perſonatæ. Si enim clangores „tam ſalutares nihili faciendo Tubicinis erga vos charitati, calumnias, & injurias „(more veſtro) rependere pergatis, videte „ne Tuba Maxima, ad aures veſtras ſonitu „vehementiori perſonando, inſipientiam, ſuperbiam, impænitentiam veſtram tandem „confundat, maledicentiamque veſtram retundens, calumnioſam eſſe coram Orbe „univerſo uſque ad Garamantas, & Indos „manifeſtis probet argumentis. Quia ut D. „Baſilius ait Epiſt 65. *Ad Calumnias tacendum non eſt, ne mendacio inoffenſum progreſſum permittamus*, aut eos qui *ſubducti ſunt, damno inhærere ſinamus.* Et ut D. Athanaſius in Apolog. *Qui lapide ictus eſt, quærit*

„*me-*

„*medicum*: *ictus autem calumniæ graviùs quàm*
„*lapides feriunt. Eſt enim Calumnia clava*,
„*& gladius*, *& jaculum incurabile.* *Sed his
„*veritas mederi poteſt*; *quæ ubi negligitur*,*vul-*
„*nera acerbiora fiunt.*

Priuſquam ego tibi reſpondeam, habeo quod ex te quæram; non ipſius rei, ſed animi mei causâ. Dic *Candide* an tu umquam legiſti *Athanaſium*? Cur eum citas tam vagè, *in Apologia*. Hæc enim apud Sanctum illum eſt multiplex. Una eſt ad Conſtantium Imperatorem; altera de fuga ſua, & alia iterum contra Arianos: quam jubes me legere, ut ſapientiſſimam hanc doctrinam ipſius Sancti eſſe cognoſcam? Num quæ allegas ex D. *Baſilio*, in ejus operibus tu inveniſti, & in Epiſtola, quam citas 65. ? quia horum nihil in Epiſtola illa occurrit; legi integram. Numquamne ergo tria verba referes benè, ſeu bona ſcribas, ſeu mala? Si rectè divino, tu *Langium* tenuiſti in *Polyanthea*, ibi eſt utrumque hoc teſtimonium; ibi citatur D. *Baſilii* Epiſt. 65. ibi ſunt totidem verba tua, nullum præterea; pauca tu tantum omiſiſti ex teſtimonio *S. Baſilii*, cujus ſententiam ita ſcripſiſti, ac ſi nihil in ea eſſet prætermiſſum. Tum pro voce *ſeducti*, quæ ſola hìc ſenſum facit, tu ſufficis vocem *ſubducti*. Fortè tamen rivulo debes tibi propinquiori, qui ex *Langio* priùs ſcaturierit, atque non animadverterit ibi ſaltem numerum, aut I. litteram additam fuiſſe ad citatam Apologiam *D. Athanaſii*: ex quocumque mutuaveris, nihil propinaſti ex fonte, nihil ſincerum, plagium

conſtans,

:onſtans. Fac ſapias aliquando.

Eſt & aliud leviuſculum : *Credite*, inquis, *veritati per clangores perſonatæ.* Hanc locutio-iem Grammatici non ferunt: verbum *ſono* ver-»um *commune* eſt, *Paſſivam* inflexionem non idmittit; *Perſonuiſſe* veritas dici poteſt, *Perſona-a*, tuâ ſignificatione dici non poteſt. Non idcir-:o tamen te tradam *Traiano Bocalino*, ut in *Parnaſſum* ſuum, cum Grammaticis peccato-ibus te rapiat verberandum, & depalman-lum muſarum ſoleis ; hæc vitia tua nullius acio, & aliàs libenter prætereo ; dummodò iominem frugi te probes, & benè Catholicum.

Nunc ô adhortator, quoniam id à me po-tulas, credimus veritati, quæ tot *Tubæ* magnæ :langoribus auribus noſtris inſonuit : credi-nus, inquam, & dolentes credimus ; quæ :nim veritas tot clangoribus nobis innotuit, iiſi hæc luctuoſiſſima, *Tubam* tuam eſſe ma-edicentiæ, irreverentiæ, contumaciæ publi-:um monumentum; huic veritati, quòd nol-emus, aſſentimur & credimus, imò ſi ma-ris, non credimus, qui cognoſcimus aper-:iſſimè, quia demonſtravi. Pervolve omnia inimo pacato, & me calumniæ non appella-is, aut injuriarum. *Tubicinis* erga nos chari-:atem ego non agnoſco; ubi enim charitas, bi juſtitia eſt, hanc in *Tubicine* omnes deſi-leramus.

De minis tuis Rodomonde nihil equidem velim decerptum : noſtri causâ nihil præter-mitte : per nos licet, ſi ſinè peccato fieri poſſit, prodeat Tuba Maxima, atque ut ſcri-bebam à biennio, prodeat : "Tympanumque

&

„ & Cornu, Equitum Peditumque agmen in „ apertum deſcendat, quod nunc adhuc minatur ex inſidiis donec jungatur amicis copiis, „ & caput vexillis oſtentet ſub quo mereatur; „ minus nocebunt hæc omnia cum bellum „ prius ſuſceptum gerent apertiùs. Vos in Tubis, & Buccinis, in Clangoribus, & Vociferationibus, Nos autem in Nomine Domini.

At tui causâ mi Frater, te oro atque obſecro, per ſalutem tuam obteſtor, per quidquid ſacrum eſt, miſerere animæ tuæ placens Deo, ejice à te cogitationem illam ſceleſtam, ne ſi ad reliqua peccata accedat *Tuba Maxima* dolere debeamus ſuper te, qui tui oblitus elinquere voluiſti inſipientiæ, contumaciæ tuæ maximum monumentum.

Noli hìc ſubitò mihi iraſci; rem veram dixi: tu, ſi placet, te ipſum circumſpice, & ſi cæcus non fueris, intelliges, te his vitiis procul in devia eſſe abductum. Utraque *Tuba* tua, utraque rancida, nihil crepat præter Reformationem. Amœnum enimverò ſpectaculum, cùm ad novam formam, eamque præſtantiorem in Rempublicam inducendam is ſe accingit, cujus tota Dictio perpetuum eſt crimen: an tu neſcis, Amice, quia *Clodius* non accuſat, & *Verres* ineptus ſurgit Reformator? Tritum dictum eſt; Medice cura te ipſum: habes enim quod domi tuæ cures affatim, neque tantum tibi abs re tua eſt otii, aliena ut poſſis curare.

Quæ Lex Eccleſiaſtica eſt, aut Regia, librorum impreſſionem curantibus lata, quam tu obſervaveris, imò in quam non peccaveris?